



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De presbyteris qui ante triginta annos ordinantur. x.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quòd nullus ex ecclesiastico ordine absolutè debeat ordinari. Cap. VI.

NVLLVM absolutè ordinari debere presbyterũ aut diaconum, nec quemlibet in ecclesiastico gradu, nisi specialiter Ecclesiæ ciuitatis, aut possessionis, aut martyris, aut monasterii nomen, cui ordinandus est, pronũcietur. Qui verò absolutè ordinantur, decreuit sancta synodus irritam haberi huiuscemodi manus impositionem, & nusquam posse ministrare, ad ordinantis iniuriam.

Ex cõcil. Chalcedo. ca. 6.

Quòd sub aspectu audientium ordinationes celebrari non debeant. Cap. VII.

QUOD non oporteat ordinationes sub aspectu audientium celebrari.

Ex cõcil. Laodicẽsica. 4.

Quòd turbis electionem promouendorum facere non liceat. Cap. VIII.

QUOD non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium prouehendi.

Ex eodẽ, cap. 13.

Quòd episcopum vel presbyterum ante triginta annos ordinare non liceat. Cap. IX.

EPiscopum verò, vel presbyterum ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti etatem peruenerit, nullus metropolitanorum ordinare præsumat: ne per atatem, quod aliquoties euenit, aliquo errore detineantur.

Ex cõcil. Agathẽ. cap. 7.

De presbyteris qui ante XXX annos ordinantur. Cap. X.

SI quis triginta etatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiã si valde sit dignus: quia & ipse dominus tricesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum qui ordinandus est, usque ad hanc etatem legitimam consecrari.

Ex decr. Fabia pape. Oriẽtalib. missis.

Quòd ante XXV. annos diaconi non sint ordinandi. Cap. XI.

PLacuit ut ante viginti quinque annos etatis, nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, & ut leuor populum non saluter.

Ex cõcil. Carthagi. ca. 16.